

QUAESTIO <8>

UTRUM IN APPETITU HOMINIS SIT LIBERTAS

Deinde quaeritur utrum in appetitu hominis sit libertas.

Videtur quod non, quia existente apprehensione alicuius sub ratione boni, necesse est hominem appetere; et non potest non appetere, nec 5 oppositum. Ergo non est liber appetitus.

Item, contingit quod aliqui nascuntur tales quod bene videntes et iudicantes de visibilibus, aliqui tales quod male iudicantes de visibilibus. Item, loquamur de aliquo antequam sit bonus vel malus. Ex hoc autem quod aliquis bene iudicat in principio de bono vel malo, bene vel male 10 appetit vel operatur; et aliquis male similiter. Tunc arguitur: Quae est causa quod isti in principio efficiuntur boni, isti mali? Non videtur esse causa nisi quia isti nascuntur bene iudicantes de bonis vel malis, et bene appetentes vel operantes, et illi male nascuntur; sicut aliqui nascuntur bene videntes, alii non. Sic videtur esse in proposito. Et si ita est, non 15 videtur esse libertas in appetitu hominis, quia unicuique a natura est determinatum iudicium de bono vel malo. Quare etc.

Dico quod voluntas hominis libera est, quamvis non appetitus brutorum. Per oppositam causam quam in brutis est hoc videre. Quia appetitus brutorum est non liber, quia nec iudicium, cum nascantur cum 20 iudicio determinato ad delectabile et triste. Unde non erat liber appetitus; immo a natura determinatur. Per oppositam causam homo habet liberum appetitum, quia non nascitur cum determinato iudicio de bonis vel malis; immo possibile est iudicium humanum esse indifferens de aliquo quod sit bonum vel malum; et ideo nascitur liber ad appetendum 25 hoc vel oppositum. Unde et ARISTOTELES dicit quod magis est bonum vel malum in animatis, et maxime in habentibus prohaeresim, quia in eis est magis ratio boni; quia bruta, licet ex cognitione agant ad finem, tamen determinantur a natura; unde magis aguntur quam agant ad finem, propter quod habet finis operationis minus rationem boni in illis. Homo 30 autem liberum appetitum habet et non determinatum a natura, propter quod magis dicitur agere ad finem quam agi, cum non sit actus a natura. Ideo in eis magis habet finis operationis rationem boni.

Ad rationem in oppositum, quidam habebant pro vero quod, stante iudicio in particulari quod hoc sit bonum vel malum, poterat adhuc 35

29 determinatur] determinatur scr.

26 ARISTOTELES, *Metaph.*, V, 14 (1020 b 23-25).

eligere; eius tamen oppositum determinat ARISTOTELES VII^o *Ethicorum* et alibi. Unde dicendum est quod, licet insit libertas appetitui, tamen necesse est quod appetat quando appetit. Ad rationem dicendum quod non sequitur ex hoc quin appetitus sit liber. Quamvis enim sub tali 40 iudicio determinatus est ad appetendum, tamen quia non natus est sic determinatus, nec sub tali iudicio determinate, sed sub iudicio de possibili ad utrumque, ideo nec nascitur sub appetitu determinato; unde a natura liber est in appetitu. Utrum tamen nascatur cum determinato iudicio a natura, hoc non determino, quia hoc non sequitur ratio.

45 Ad secundum, concedo quod aliquis nascitur bene iudicans de visibilibus, et aliquis male. Sed nonne quia efficitur bonus vel malus, iudicat sic vel sic quia natus cum bono iudicio vel malo? Dico quod non. Immo homo non nascitur cum determinato iudicio bono vel malo de bonis vel malis; immo contingit hominibus fieri bonos vel malos per iudicium 50 bonum vel malum, ita quod poterant deduci per pravas consuetudines et operationes et iudicia prava, ita quod mali efficerentur. Verumtamen aliqui nascuntur melius iudicantes quam alii. Unde, si nihil posset dare bonum iudicium vel malum nisi natura, bona bonum <et mala malum>, quid esset bona natura? Sed non est ita.

<SIGERI DE BRABANTIA>

<QUAESTIONES IN METAPHYSICAM>

(REPORTATION DE VIENNE)

<LIBER V>

* Contrary to Ryan's interpretation that there is necessity w/o determination

CENTRE DE WULF-MANSION

CENTRE DE RECHERCHES DE PHILOSOPHIE ANCIENNE ET MÉDIÉVALE
CRÉÉ PAR L'INSTITUT SUPÉRIEUR DE PHILOSOPHIE
DE L'UNIVERSITÉ DE LOUVAIN

PHILOSOPHES MÉDIÉVAUX

COLLECTION DE TEXTES ET D'ÉTUDES PUBLIÉE SOUS LA DIRECTION DE
FERNAND VAN STEENBERGHEN

La diffusion de la collection est assurée
en Belgique et à l'étranger
(sauf la France et l'Allemagne)
par les
ÉDITIONS NAUWELAERTS, S.A.
Avenue des Volontaires, 321
1150 Bruxelles

en France par la Société d'édition
LES BELLES LETTRES
Boulevard Raspail, 95
F-75006 Paris

en Allemagne par
DOKUMENTE-VERLAG
Postfach 1340
D-7600 Offenburg

PHILOSOPHES MÉDIÉVAUX

TOME XXIV

WILLIAM DUNPHY

PROFESSEUR À L'UNIVERSITÉ DE TORONTO
ET À SAINT MICHAEL'S COLLEGE

SIGER DE BRABANT

QUAESTIONES IN METAPHYSICAM

ÉDITION REVUE DE LA REPORTATION DE MUNICH
TEXTE INÉDIT DE LA REPORTATION DE VIENNE

LOUVAIN-LA-NEUVE

ÉDITIONS DE L'INSTITUT SUPÉRIEUR DE PHILOSOPHIE

1981